

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput IX

urn:nbn:de:bsz:31-97032

CAPUT IX.

DE BATAT, BAXERA,

Brufathaer & Baaras.

B *Atat* radix est napi figura nigro cortice, sparsa inferne quasi per brachia Color medullæ varius est, inde in species divisa; sed in ultimo pretio lutea est. Ejus fatio mira: Nec enim radice, sed oleam imitata talea feritur. Sarmenti fissum in aliquot partes frustum, aliquantulum tamen ut servetur corticis, deponunt, ridicam propter pangunt. Ejus namque stipes advovitur lupuli more. Quinto mense messis tempestiva. *Scalig. Exerc. 181. f. 17* *Baxera* est arbor in regno Beli, quod Catainis affine est Tartaris. Radix ejus illico interficit comesta. Mali remedium fructus est Nirabi. Tollitur eo venenum, quodcumque tandem fuerit. *Scalig. Exerc. 153. f. 6.* *Brufathaer* atbores sunt marinæ, ad Chinarum sinum. Tanta illarum vastitas, ut immensæ magnitudinis avibus stabula præbeant. Tam grandes sunt, inquit, *Scaliger*, ut eis etiam graviora animalia integra sustollantur, atque auferantur. *Scalig. Exerc. 181. f. 10.* De *Baaras* scripsit Iosephus. In valle, inquit, qua civitas à parte Septentrionali cingitur, quidam lacus *Baaras* appellatur, ubi radix eodem nomine gignitur, qua *flamma* quidem adsimilis est colore, circa vesperam vero veluti jubar fulgurans. Accedentibus eam Evellere cupientibus facili non est. sed refugit, nec prius manet, quam si quis urinam muliebrem vel menstruum sanguinem super eam fuderit. Quinetiam tunc, si quis eam tetigerit, mors certa est; nisi forte illam ipsam radicem ferat de manu pendentem. Capitur alio modo sine periculo, qui talis est: Totam eam circumfodiunt, ita, ut minimum ex radice terra sit conditum; deinde ab ea religant canem, illoque sequi eum à quo religatus est cupiente, radix quidem facillime evellitur; Canis vero continuo moritur tanquam ejus vice, à quo tollenda erat, traditus.

tus. Nullus enim postea accipientibus metus. Fabella esse videtur, nisi alius subfit sensus.

CAPUT X.

DE CACHI, CACAVATE,

Cassia, Carduo Mariæ & Corallina.

Cachi spinosa est in Malabar arbor, fructum ejus Ciccaram vocant. Totius forma ut pineæ nucis. In-
tus enim Camerulæ membranis distinguuntur, ut in
Punica. Poma ficorum tum dulcedine tum specie, si-
ne cortice, ducena quinquagena in eis, ad tercenta us-
que interdum *Scalig. Exerc. 181. f. 12.* In illis fructi-
culis est alias figura Castaneæ, qui ad eundem modum
inter coquendum crepat. Exit è trunco fructus, sicut
& sycomoro, inter spinas & frondes. Interdum quod
magis mirum est, è radice subtus terram unde prodit.
Unicum autem tantum pomum profert, tam magnum,
ut robustum hominem onerare posset. *Majol. coll. de
plantis.* *Cacavate* arbor est in Provincia Americæ Ni-
caragna, quæ adeo horret Solem, ut sub umbra semper
sit servanda, & altioris arboris tegenda umbraculo, lo-
cis sylvosis & irriguis, Sole admoto tabescit. *Liban.
de Orig. rerum.* *Cassia* sæpenumero in cinnamomum
abit. Vidit Galenus eximæ Cassiæ ramulos omni ex
parte illud referentes, & Cinnamomi furculos Cassiæ
persimiles. Hinc nata apud eum opinio, pro qualibet
Cinnamomi parte, duas electæ Cassiæ in componen-
dis medicamentis adhiberi posse. *Galenus de Antid.
lib. 1.* Virgæ ejus in frustra scabantur, recentisque bo-
vis insuebantur corio, ut vermiculis, qui ex ligno naf-
cuntur, lignum illud inutile redderetur. *Plin. l. 12.
c. 29.* De Cassia solutiva affirmatur, quod is, qui quo-
tidie ante prandium ternas pulpæ ejus drachmas devo-
raverit, nunquam vel calculi vel ventriculi sit labora-
turus doloribus. *Mathiol. in Diosc. lib. 1. Cardui lactei,*
quem Mariæ nuncupant, flores in stranguria solo,
cuidam